



DE
LAUDIBVS NIMIIS

PRAEFATVS

AD

ORATIONEM

ANNIVERSARIAE MEMORIAE

BENEFICII

ECCARDO-RICHTERIANI

DEBITAM

OMNI OBSERVANTIA

INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN

RECTOR.

FREIBERGAE,

Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII,

CXXXX.

Ea humani ingenii est natura atque indoles, vt, CICERONE teste, a) omnes laudis studio trahantur, et optimus quisque maxime gloria ducatur, quae, eodem iudice, b) nihil est aliud, quam illustris et peruagata multorum et magnorum vel in suos, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum: quum contrario, negligere, quid quisque de nobis sentiat, non solum hominis sit arrogantis, sed etiam omnino dissoluti. c) Vti enim pulchritudo corporis apta concinnitate membrorum oculos mouet, et hoc ipso delectat, quod omnes partes inter se cum quodam lepore consentiunt: sic etiam illud decorum, quod in vita elucet, eorum adplausum conciliat, quibuscum viuimus, ordine, constantia et moderatione omnium tam dictorum, quam factorum. Et hoc verae laudis studium tantum abest, vt improbari possit, vt potius ab ipso viro diuino commendetur, nos exhortante: d) *εἰ τις ἀρετῆ, καὶ εἰ τις ἐπαινος, ταῦτα λογίζεσθε, ἰ. ε. si qua est virtus et laus, ea cogitate.*

Quemadmodum vero alia, quae per se sunt necessaria atque utilia, per abusum corrumpuntur et vitiantur: ita etiam laudum ratio est comparata: quod CICERO his verbis indicat: e) vti leuitatis est, inanem aucupari tumorem, et omnes umbras etiam falsae gloriae consectari: sic parui est animi, veluti lucem splendoremque fugientes, istam gloriam, quae est fructus honestissimus verae virtutis, repudiare. Porro abusus etiam per laudes malitiosas se prodit et studium alteri laudando nocendi, et ignominiae maculam adspargendi. A quo vitio quantum HORATIVS abhorruerit, his verbis Augusto suo declarat: f)

*Tu ne forte putes me quae facere apta recusam,
Quum recte tractent alii, laudare maligne.*

Tales laudatores omnes sunt ii, qui alterum ab iis laudant, quibus plane caret, vel qui lucris causa reprehendenda commendant, potiori iure, transpositis litteris adulatorum quam laudatores adpellandi, quos PLVTARCHVS nosse tanquam *ἀσημους καὶ καταρατες*, h. e. obscuros atque execrabiles homines. omni studio vitari iubet. g)

Dantur vero etiam laudes nimigae, effusae, immodicae, et honestatis normam excedentes, eoque nomine vituperabiles, quia id omne, SENECA iudice, h) vitio laborat, quod nimium est. Quae verba vir quidam Gallici sermonis studiosus, his rhythmis complexus est: i)

Trop.

a) Orat. ad Quirit. post red. c. XI. b) Orat. pro Marcell. c. VIII. c) Cic. Offic. L. III. c. 28. d) Phil. IV. 8. e) in Leg. Calpurn. Pison. c. XXIV. f) L. II. Epist. I. 208. g) de Educ. puer. C. VII. 19. h) de Tranquill. c. IX. i) Le delassement de la guerre, ou la Philosophie des heros. 1758.

Trop de repos nous etourdit,
 Trop de fracas nous engourdit,
 Trop de froideur est indolence,
 Trop d'activité petulance:
 Trop d'amour trouble la raison,
 Trop de remede est un poison:
 Trop de finesse est artifice,
 Trop de riguer est dureté,
 Trop d'oeconomie avarice,
 Trop d'audace temerité,

Trop d'honneur est un esclavage,
 Trop de bien devient un fardeau,
 Trop de plaisir mene au tombeau,
 Trop d'esprit nous porte outrage,
 Trop de confiance nous perd,
 Trop de franchise nous dessert,
 Trop de bonté devient faiblesse:
 Trop de fierté devient hauteur,
 Trop de complaisance bassesse:
 Trop de politesse sadeur.

Hoc autem vitio inprimis Iudaeos laborare, poeta testatur, a quo haec natio adpellatur

gens nimis in laudes ingeniosa suas.

Nam quis non ridendo explodit profuta illa encomia, quibus isti magistros suos ornauerunt, aut vt rectius dicam, onerant, Rabbi Tarphonem בל עמא *cumulum nucum*, R. Ismaëlem חמץ חמץ *tabernam alimentariam*, R. Akiba כלבא חמץ *horreum clausum*, R. Iochanan קפח הרובלים *pyxidem aromatoriam*, R. Elieser של כשרים קופה *capsulam balsami*, R. Ioseph עקר הרים *euulforem montium* adpellantes. k) Quis non stomachatur in monumento sepulchrali. R. Menachem legens: *hic conditur lagenula manna repleta lege ac praeceptis instar malogranați*. l) Et quis neget, R. Iochanan modum in laudando praeceptore excessisse, his eum verbis commendantem: *Si omnes sapientes in vniuerso terrarum orbe in vna staterae lance starent, et vnus ille magister in altera poneretur, hic vnus illos omnes esset depressurus*. His laudibus hyperbolicis ea inscriptio addi potest, qua effigies R. Maimonidis conspicietur exornata: n)

A Mose ad Mosen par Mose non fuit vllus.

More, ore ac calamo mirus vterque fuit.

Non autem solos Iudaeos in laudibus impertiendis profusos et nimios esse, sed etiam multos alios in laudando limites transgredi, exemplo non vno probari potest. Quis encomium illud excusabit, quo Heinsius et Scalger medicum GALENUM maclarunt, quem ille *Pontificem maximum omnium medicorum*, p) hic vero *mare eruditionis, oceanum disciplinarum atque omnium artium promiscundum* adpellat. q) Hac ii sunt referendi, qui doctores scholasticos, doctrinam magis crepantes, quam praestantes, immodicis laudibus extulerunt. Nam Petr. LOMBARDVM, qui agmen inter eos ducit, *humeri omnis eruditionis* salutabant. r) THOMAS de Aquino honorifico titulo *doctoris angelici, luciferi matutini, et solis vniuerso orbi lucentis* ornabatur. s)

BAR-

k) Gemar. Gittin. fol. 6r. et Halicboth. Olam. c. III. p. 27. l) Wolf. B. H. Vol. IV. p. 1180. m) l. c. Vol. I. p. 172. n) Bayle Diction. T. I. P. I. p. 235. o) Exerc. LYI. p) Orat. III. p. 31. q) Molleri Homon. p. 880. r) Morbof. Polyh. T. II. L. I. c. XIV. § 3. s) Ludwig Diff. de differ. iur. Rom. et Germ. p. 55.

BARTOLVS tanta fama celebrabatur, ut numen legum, doctor Scraphicut, omnipraefens atque omniscius audiret, t) cuius vestigia tanquam Numinis sint adoranda. v) Alphonf. autem **TOSTATVM** post mortem hoc monumento condecoratum esse, legimus: w)

Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.

Et quamuis **Rob. BELLARMINVS** tam doctrina quam dignitate multos superaret, in eo tamen laudando metam transfiliit, qui verae ecclesiae colossus et scribam Spiritus S. eundem adpellavit. x) Huic merito illud encomium iungitur, quod **Guil. POSTELLO**, Prof. Parif. datum et his verbis conceptum legitur: x)

Tout ce, que le ciel prend dedans sa converture,

Fut contenu dedans un si petit pourpris.

Tous lieux de terre et mer dessus un globe écrits

Furent esprits en lui d'une vive ecriture.

Il void d'oeil et d'esprit tout le rond univers:

Il fit des nations tous les langages divers.

Et quem laudes nimiae non offendunt, in **Claud. SALMASII** monumentum sepulcrale his verbis insculptae: y)

Quod mortale fuit, perit, pars altera coelis

Reddita, fit maior, doctior esse nequit.

Neque immerito illa commendatio hoc loco recensetur, quae denato **Ren. CHOPPINO**, Icto apud Gallos, his phaleris est adornata: *Occidit Pan magnus, scrinium legum, sacrarium canonum, lux iuris, et fax civitatum.* z) Omnes autem fere laudes illud monumentum superat, quod **Petro GASSENDI**, audacissimo philosophiae Epicureae restauratori, anno MDCLV. Lutetiae Parisiorum statutum his verborum portentis constat: a) *Hic iacet non vnus e septem sapientibus, verum tota sapientum familia. Philosophi omnes, politici, philologi, mathematici et theologi hoc tumultu teguntur, academiae veteris et noui lycei, et Socras vestigia, veluti toridem oracula sstendi erant rediuiui et audiendi, Thales, Anaxagoras, Pythagoras, Hippocrates, Democritus, Socrates, Plato, Aristoteles, Leno, Epicurus, Lucretius, Cicero, Seneca, Plutarchus, et quotquot huiusmodi heroum ad nostra vsque tempora exstiterunt. Hic iacent cum Musis, Pallade et Apolline Pudor, et iustitiae soror, incorrupta Fides, nudaque Veritas. Quae vniuersa magnum Petri Gassendi nomen complectitur. Tu, viator erudite, luce sortem generis humani, cui mors inuida eripuit fidiissimum et diligentissimum naturae interpretem, virtutis, solidae pietatis et bonae mentis vindicem, et propagatorem integerrimum, acerrimum et felicissimum. Huic encomio sesquipedali non quidem verborum numero, laudis ta-*

men

t) Magiri Eponom. p. 105.

u) Paravicini Singular. p. 26.

w) Plise

in vitis Script. eccl. p. 46.

x) Memoires de litterature. Haye. 1715. T. I. p. 6.

y) Parif Ep. 48.

z) Menken. Charletan. p. 223.

a) Magiri. Eponom. p. 377.

men nimietate illud respondet, quod eloquentiae Prof. Paulo BENIO fuit impertitum: b)

ingenti cuius famae vix sufficit orbis.

Quam longe vero ab honestatis officio illi declinant, qui aliis nimium laudis tribuunt, tam impudenter illi peccant, qui amore sui capti, se suasque virtutes ebtrecinant, et veluti suspensa hedera publice vendunt. Talis ostentator R. IOCHANAN, Ben Saccai, erat, his verbis iactantiam suam prae se ferens: *Si omnes caeli essent vela, omnes homines scribeae, et omnes sylvarum arbores calami scriptoriorum, non tamen sufficerent ad meam sapientiam describendam.* c) Eodem putidae arrogantiae morbo laborans PALAEMON, vetus apud Romanos Grammaticus, litteras secum natas et morituras statuebat, imo sibi et aliis persuadere volebat, Virgilium in bucolicis animo praevuidisse, se omnium poetarum principem fore, quia Palaemonem quendam commemorat, d) qui, Menalca et Damoeta cantando certantibus, iudicem ageret, uter victor palmam meruisset? Huic alium Grammaticum adiungimus, ALEX. RCHVM, qui nescio vtrum Heracliti lacrymis an Democriti risu dignior sit putandas, scholam suam caelum, auditores stellas, praeepta lucem, nomina, verba, et reliquas orationes partes signa zodiaci, se vero solem, haec omnia illustrantem adpellans. e) Eodem vitio iste ardellio infectus erat, quem sub Zoili nomine ERYTHRAEVS, et his quidem coloribus depingit: f) *omnes prae se contemnebat, atque aliquando interrogatus, cur non interdum in concionem eruditorum veniret? respondebat: quia sapientia et eruditione mei similem neminem inuenio.* Et quantum Hier. CARDANVS sibi arrogauerit, ea verba docent, quae suo monumento sepulchrali inscribi mandavit: g)

Me non terra regit, sed dudum raptus in alium,

Illustris viuo docta per ora virum.

Quicquid venturis Phoebus spectabit in annis,

Cardanum noscet nomen et usque meum.

Quantum vero Iust. LIPSIVS sibi suisque dotibus tribuerit, haec eius verba docent: h) *corpus mihi et facies non indecora, os probum, animus verecundus, ingenium docile et capax omnium, iudicatio collineans et recta, memoria non sine miraculo, eloquentia prompta, stilus atque inuentio facilis, cultus viro dignus, gestus et sermo modicus, etc.* Omnes tamen sui ipsorum laudentes THEOPHRASTVS PARACELSVS iactantia superavit, sapientiam suam his phaleris ornans: i) *Das geringste Haar meines Kopfes weifs mehr, als ihr und alle eure Schriftsteller. Ja meine Seubriemen sind gelebrter als Galenus und Avicenna. Mein Bart aber hat mehr erfabren, als alle Academi-*

b) Io. Imperial. in Mus Hist. p. 168.

c) Wolf Bibl. Hebr. Vol. IV. p. 476

d) Ecl. III. 55. 108. 199.

e) Spizel Felix Litter. p. 108.

f) Pinacothr

g) P. I. p. 240.

h) Magir. Epon. p. 181.

i) Epist. sel. Cent. Misc. Ep. 87

j) Hornbeck. in Sum. Contr. p. 401.

mien. O Ibr Araber, Griechen, Lateiner, Franzosen, Italiäner, Deutschen und Pohlen werdet mir noch alle folgen müssen. Ich werde ein Monarche unter euch werden, mir wird die Alleinherrschaft bleiben, und ich werde eure Lenden gürten. Huius generis hominibus verba nostri LUTHERI in memoriam sunt reuocanda: k) Läßest du dir dünken, du habest es gewis, und kütze dich mit deinem Lesen und Schreiben, so greif dir einmahl an deine Ohren, und greifst du recht, so wirst du finden ein schöner Paar grosser, langer und raucher Efelohren: so wäge vollends die Kost daran, und schmücke sie mit gülden Schellen, auf das, wo du gebest, man dich hören könne. Und dann sprich: Sehet! da gebet das feine Thier, das so viel kan!

Quae quum ita sint, homo sanae rationis vsu valens, merito hoc vitium detestatur, et laudes nimias auersatur, multo minus vero, ipse sibi eas vindicat, haud ignorans, hanc nimietatem honestis viris ostendiculo, sibi autem damno esse. Nam multa exempla eorum proferri possunt, qui hac peste correpti, vbi vanitatem suam perpexerunt, pudore suffusi, suam arrogantiam serio abhorruerunt. Ita Petr. ABAELARDVS aperte confitetur, ab eo tempore in grauissimas animi perturbationes se incidisse, quum ingenio suo confusus nimis laudibus captus esset. *Et quoniam, inquit, honor stultos homines mirifice inflat, et mundana securitas vigorem animi enervat, quum iam me solum in mundo philosophum superesse existimarem, frenam libidini laxare coepi.* l) Contra vero summi nominis doctores quo pluribus dotibus se ornatos videbant, eo modestius laudes effusas deprecabantur, exemplum Pauli sequitur, qui haud quidem nesciebat, quantum alios donis singularibus anteciret, et tantum tamen ab omni iactantia aberat, vt publice potius et ingenue confiteretur: *ὕπερ ἐμῆ ἐ καὶ χριστοῦ καὶ ἐγὼ τὰς ἀδελφούς μου, ἰ ἐ. de me ipso non gloriabor, nisi de infirmitatibus meis.* m) Cui similis CHRYSOSTOMVS erat, qui etsi admirabili facundia animos audientium flectebat, et saepe inter perorandum honorificentissimis adclamationibus et plausibus populi excipiebatur, tamen laudum suarum ebriatores his verbis ad silentium reuocabat: n) *credite mihi, vera dico, dum mihi in coetu dicenti applauditur, domum reuersus doleo, gemo et lugeo. Et frequenter legem ponere cogitavi, quae plausus prohiberet.* Neque alia mens erat AVGVSTINI, dicentis: o) *laudes populi nos potius grauant quam delectant, quin etiam in periculum nos immittunt. Et licet illas toleremus, inter easdem tamen tremimus.* Imo istae laudes vestrae folia sunt arborum, a nobis autem fructus quaeruntur. His viris facti ordinis ex historia profana filium Vlyssis, TELEMACHVM adiungimus, cuius sententiam de laudibus nimis quum nuper in praelectionibus explicarem, a me impetrare non possum, quin eam, bonae frugis plenissimam,

hoc

k) Vorrede zum I. Jen. Theil.
mil. XXX. in Act. Ap.

l) Epist. I.

m) 2 Cor. XII. 5.

o) in Euangel. Matth. V.

hoc loco repetam; p) Les louanges corrompent les hommes, elles les remplissent d'eux memes, et elles les rendent vains et presomptueux. Il faut les mériter, et les fuir. Les plus méchants sont ceux, qui se font le plus louer par des flatteurs. Mais quel plaisir y a-t-il à être loué comme eux? Épargnes donc moi, si vous m'estimez, et ne me louez pas comme un homme amoureux des louanges. Et alius scriptor Gallicus in eo libro, qui de virtutibus hominis modesti exponit, de profusis ac nimis laudibus ita disputat: q) ceux, qui flatent grossièrement et à decouvert, et qui prostituënt les louanges sans discernement et sans choix, ne plaisent gueres aux personnes de bon goût. Mais comme la plupart des hommes sont aveugles par l'amour propre, et par la complaisance, qu'ils ont pour leur propre mérite, ils n'apperçoivent pas, qu'on les flatte, et font assez connoître par l'air content, dont ils reçoivent les louanges, que ce, qu'on leur dit d'obligeant, leur fait un extreme plaisir. Car les personnes vaines ne peuvent gueres s'empêcher de laisser voir le ridicule de leur vanité. Mais ceux, qui la nourrissent par des éloges de contrebande, devoient être punis comme des empoisoneurs.

Quae cum in omnes omnino homines honestatis et modestiae studiosos conveniunt, tum iis praecipue commendari merentur, qui litterarum studio sese manciparunt. Quia enim, HORATIO teste, r) omnis adolescens est crevus in vitium secti, et monitoribus asper:

juventis imprimis ad iactantiam et vanam laudis captationem est propensâ. Cui vitio eo maiori animi contentione resisti debet, quo infamior ea est obtrectatio, qua scholae publicae traduntur. Vti enim eiusmodi iuvenes sapientia sua, quantumvis modica, inflati, adulatorum laudibus tument, et alios prae se ambitiose contemnunt: ita occasionem faciunt iniquis rerum aestimatoribus calumniandi: s) on sort de l'école avec une habitude si forte de chicaner sur tout, qu'il est impossible, de l'effacer dans la suite. Et elle se repand sur toutes les actions de notre vie.

Quam vehementer igitur nimias, profusas, et emendicatas laudes abominamur, tam iustum illis pretium statuimus, quae virtuti debentur. Haec enim, CICERONE iudice, nullam aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, praeter hanc laudis et gloriae. t) Si enim generosorum equorum cursus clamoribus hominum excitatur, et plaudentium manibus adiunatur: quantum meritis laudibus iuvenes bonae indolis exstimulabuntur, quos ad honestae gloriae aviditatem natos esse videmus? Qua mente PLINIVS, u) quum Calpurnium Pisonem in auditorio publice perorantem audisset, narrat, magistrum, recitatione finita, adlescentem multum ac diu exosculatum esse: ego vero,

p) Les Avantures de Telemaque L. XXI.

q) de Bellegarde Lettres de littérature et de morale p. 31.

r) L. II. Ep. II. 265.

s) Bibliothèque

Vniverselle T. XXX. p. 422.

t) Orat. pro Arch. c. XI.

u) L. V. Ep. 17.

vero, addit, laudibus eum incitavi, pergeret, qua coepisset, lumenque, quod maiores sui praetulissent, posteris ipse praeferret.

Neque minor benevolentia dignus ille est adolescens, cuius causa haec scriptio suscepta fuit. Is est

CHRISTIAN GOTTHELF FVNCKE,

Freiberg.

qui a teneris vngniculis ad studia litterarum rapi videbatur, et numero hac in palaestra versantium adscriptus, sincera erga Deum pietate, singulari morum modestia, ingenii florentis felicitate, proficiendi cupiditate, oris ac vocis suavitate, et reliquis virtutum ornamentis ita singularis ac omnibus se probavit, ut eum coniunctis votis ac precibus abitum parantem prosequantur. Et quamvis fau-tricis naturae instinctu ad cursum studiorum alacriter continuandum feratur: beneficiis tamen Patronorum, veluti nouis stimulis ad stadium in academia eodem seruore decurrendum, quo illud apud nos ingressus est, excitatur. Inprimis vero grato animo illorum facilitatem, pauperum studia munificencia subleuandi, veneratur, qui indulgentes adiutores fuerunt, ut legati ECCARDO-
RICHTERIANI fructum perciperet, cuius memoriam oratione Latina recoleto, *de iis, quae in scientiis et tradendis et imbibendis superuacanea sunt*, expositurus. Quo facto sermone numeris adstricto vale vltimum scholae nostrae dicet. Hoc orationis argumentum non tam refutabit, quam illustrabit commilito et amicus valedicturi, cuius diligentiam et probatos mores feliciter imitatur, iuuenis nobis commendatissimus,

Friedrich Wilhelm Schubart,

Freiberg.

Et quidem videns, plurimos, qui discendi causa in scholis versantur, multa et linguarum et scientiarum ornamenta negligere, praeiudicata opinione laborantes, nullum se fructum ex iis se percepturos in eo vitae genere, quod sequi decreuerunt, carmine germanico docebit, *iuueni in schola plura discenda esse, quam quae aliquando vsibus suis inseruitura opinatur*. Quo peracto amicitiae officium iussa adclamatione et piis votis discessuro perfoluet.

Qui igitur humanitatis studia humanitate adiuuare consueuistis, PATRONI ac FAVTORES, qui ingenia erectiora benevolentia complecti soletis, qui memoriam beneficiorum a maioribus acceptorum religiose recolere oportere, censetis, et qui iustum litteris pretium statuere didicistis, ea, qua decet ac par est,

obseruantia rogamini, ut eras, finitis ante meridiem sacris, verba fa-

eueros beneuole audire, et honorifica Vestra praesentia

studia nostra excitare velitis P. P. Freibergae.

d. VII. Mart. MDCCLXXI.

Yb 627

ULB Halle

001 508 164

3



(811148)

TA → OL







DE
LAVDIBVS NIMIIS
PRAEFATVS

AD
ORATIONEM
ANNIVERSARIAE MEMORIAE
BENEFICII
ECCARDO-RICHTERIANI
DEBITAM
OMNI OBSERVANTIA
INVITAT
M. IO. GOTTL. BIDERMANN
RECTOR.

FREIBERGAE,
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII,

CXXXV.